

In Hercyniae silvis multa genera ferarum nasci constat, quae reliquis in locis visa non sunt, ex quibus, quae maxime differre a ceteris videntur, ea sunt.

Est bos cervi figura, cuius a media fronte inter aures unum cornu existit excelsius¹ magis²que directum quam ea, quae nobis nota sunt, cornua³; ab eius summo sicut palmae rami que late diffunduntur. Eadem⁴ est feminae marisque natura, eadem forma magnitudoque cornuum.

Sunt item, quae appellantur alces. Earum est consimilis capris figura et varietas pellium, sed magnitudine paulo antecedunt mutilaeque sunt cornibus et crura sine nodis articulisque habent. Neque quietis causa procumbunt neque, si quo adflictae casu⁵ conciderunt, erigere sese aut sublevare possunt. Eis sunt arbores pro cubilibus; ad eas se adplicant atque ita paulum modo reclinatae quietem capiunt. Quarum ex vestigiis cum est animadversum a venatoribus, quo se recipere consuerint, omnes eo loco aut ab radicibus subruunt aut accidunt arbores, tantum ut summa species earum stantium relinquatur. Huc cum se consuetudine reclinaverunt, infirmas arbores pondere adfligunt atque una ipsae concidunt.

Tertium est genus eorum, qui uri appellantur. Ei sunt magnitudine paulo infra elephantos, specie et colore, et figura tauri. Magna vis eorum est et magna velocitas; neque homini neque ferae, quam conspexerunt, parcunt. Eos studiose foveis captos interficiunt. Eo se labore durant adulescentes atque eo genere venationis exercent, et qui plurimos ex his interfecerunt, magnam ferunt laudem. Sed adsuescere ad homines et mansuefieri ne parvuli quidem excepti possunt. Amplitudo cornuum et figura et species multum a nostrorum boum cornibus differt. Ea studiose conquisita ab labris argento circumcludunt atque in amplissimis epulis pro poculis utuntur.

¹ Stopień wyższy od „excelsus 3”

² Stopień wyższy od „bardzo”

³ cornu,us *n* – róg

⁴ idem,eadem,idem = taki sam, taka sama, takie samo

⁵ casus,us *m* – przypadek